



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs VII. De causa efficienti creata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

quaest. 57. art. ... suadetur : quia si globus ligni in medium ignem proiciatur ; punctum medium globi , siue eius centrum sicut aequaliter à tota eius peripheria , siue circumferentia distat : ita etiam à diuersis partibus ignis , quibus ea peripheria vndique circumfusa est , aequaliter distat : ergo etiam diuersae partes ignis ab eo aequaliter distant : ac proinde aut omnes , aut nullae ad illud comburendum sufficienter approximatae , & applicatae sunt. Minor probatur : quia causa necessaria sufficienter applicata operatur quantum potest : cum ergo ad formam ignis in passo proximè applicato totaliter producendam duo ignes sufficienter applicati , & approximati sint , non poterunt non totaliter eam producere : siquidem causa necessariae sunt.

20. Respondeo : duo ignes eidem passo sufficienter applicati , siue approximati esse possunt ad formam ignis in eo totaliter producendam : ceterum ob id formam ignis in eo totaliter non producent : quia ut causa aliqua necessaria operetur prater virtutem approximata , seu localiter applicatam opus est , ut ea virtus aliunde impedita non sit : in eo autem euentu virtus vtriusque ignis ad formam ignis totaliter producendam ex alterius aequae potentis , & approximati consortio impeditur : eo quod vterque in alterius consortio concursum suum minuere , & temperare postulet ob rationes , quas supra expendimus. Quod si non de applicatione locali , sed de applicatione absolute sumpta , & prout cum expeditione ad operandum coincidit , sermo sit : sanè in eo euentu duo illi ignes sufficienter applicati non sunt ad formam ignis totaliter producendam.

21. Tertiae assertioni nostrae refragantur P. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 5. sect. 4. Balthasar Tellez disput. 29. Phys. sect. 3. alique complures. Pro quorum sententia aduersus nostram tertio loco assertam obiicies primò. Potest quis complacens in sanitate vno actu , & altero in recreatione ita moueri ex praedictis complacentiis ad deambulationem vtriusque fini vtilem , ut deficiente quauis earum , altera ad voluntatem deambulandi vi eiusdem directionis actualis , qua antea in actu secundo moueret : igitur vtriusque complacentia , vterque finis in actu secundo ad voluntatem efficacem deambulandi adequatè dirigat : motio enim , siue directio actualis , quae se sola sine alia maneret , adequata , & totalis est. Obiicies secundo : directio actualis est necessitas quaedam , qua complacentia mouens pro posteriori necessitat ad actum , respectu cuius motiua est : at non est , cur duplicis finis duplex complacentia ad voluntatem efficacem alicuius medij duplicem necessitatem adequatam non inducat : ergo non est , cur duplici directione actuali adequata ad eam non dirigat. Minor perspicua est : quia duplex complacentia duplicis finis naturaliter inferre potest duplex imperium efficax medij : quorum alterum velit electionem medij propter vnum finem intrinsecè , & alterum propter alium : at vtrumlibet imperium ad electionem medij necessitat. Obiicies denique tertio : licet natura superflua abhorreat , voluntas tamen pro innata libertate superflua atque otiosa plerumque amat : cur ergo ex cognitione , & complacentia duplicis finis per duas directiones totales , quantumuis superfluas , ad electionem alicuius medij moueri nequeat ?

22. Hæ tamen obiectiones facile possunt repelli. Ad primum dicendum est , eius antecedens esse falsum , qua parte adstruit directionem in actu secundo futuram esse eandem casu , quo maneret vnus tantum finis complacentia sine complacentia in altero : ambæ namque complacentiae attemperant suum concursum directiuum , quoties simul insunt voluntati , eamque ad electionem medij impellunt : at cum postea vna sola mouet ad eligendum medium ob alterius complacentiae defectum : tunc certe quæ sub remanet , concursus directiuum , non attemperatum , siue dimidiatum confert , sed plenum , integrumque : qui ergo fieri potest , ut concursus directiuus in vtriusque casu sit idem , & non potius diuersus : nisi verò inter totum , dimidiumque totius nihil interfit. Ad secundam obiectionem contrariam dicendum est , fieri quidem posse , & tolerare , ut ad eandem electionem bifariam necessitate duplex finis : ceterum non in hac necessitate , ut supponit argumentum , sed in modo quodam directiuo ab omni actu voluntatis suapte natura distincto consistere causalitatem finalem directionemve finis propriam : non est ergo , cur hæc possit esse duplex adequata comparatione eiusdem effectus à duobus finibus proficiscentis. Ad tertiam obiectionem contrariam dicendum est , eo , si quid valeretur , aut nihil , aut id certe probatum iri : duas actiones effectiuas adequatas respectu eiusdem effectus naturaliter dari posse : voluntas enim nostra respectu amoris liberi non se habet mere passiue , sed actiue , vel effectiue : quamuis ergo huiusmodi effectio adequata non nisi superflua , & otiose ab ea geminari possit respectu eiusdem amoris liberi : at cum in eius arbitrio , & libertate positum sit , tale efficere amorem ; non erit , cur in eo efficiendo superfluere , & otiosi non possit , cum pro innata libertate otiosa , & superflua possit amare : consequens autem est absurdum : ergo & id , ex quo sequitur. Porro absolute respondendum , uti voluntas nostra potest impossibilia amare , in eaque saltem inefficaciter affici , & ferri , quin impossibilia possit efficere , aut per actiones impossibiles vere , ac realiter operari , aut producere quidpiam etiam possibile : ita etiam nihil obstare posse , quominus superflua , & otiosa possit amare ; quin tamen exinde possit argui , quod per actiones adequatas superfluas , otiosasque operari possit eundem effectum , siue tales actiones sint finales , siue effectiue. Atque hæc hæcenus.

TRACTATUS VII.

De causa efficienti creatæ.

CAPVT PRIMVM.

Qua virtute causa efficiens operetur immediate ?



EXPLICATIS iis , quæ quatuor causarum generibus communia sunt , ad causam efficientem cæteris nobiliorem progredior , quæ cum creatæ , & increata sit ; ab ea ,

ea, quæ magis nota est, (creata nimirum) auspicari libet. Porro creaturas propriè efficere, & operari certo certius est: aliàs quæ ratione libertatem exercere, aut in actu secundo viuere, aut mereti, vel demereri possent? cum libertas, vita, meritum, & demeritum in actione sita sint, & in sola passione consistere nequeant: Aut quæ ratione illud Dei loquentis cum Abrahamo: *quia fecisti*: rem hanc: aut cum Caino: *quid fecisti*: aliavè Scripturæ loca explicari possent? Verum qua virtute res creatæ immediatè operentur, aded exploratum non est: siquidem substantias se ipsis immediatè productivas esse aliarum substantiarum, est etiam accidentium; nullumque accidens substantiæ productionem attingere Nominales, & Scotistæ, & nostri Recentiores ferè omnes arbitrantur; inter vtrosque medijs incedit P. Suarez disputat. 18. Metaphys. sect. 3. vbi substantiam in consortio accidentis ad effectiorem substantiæ concurrere mauult. P. Suarez sequitur Compton. d. 25. phys. sect. 4.

Affero primò: substantia est immediatè actiua saltem suarum proprietatum, eorumque accidentium, quæ ei intrinsecà sunt. Primò, quia nulla substantia creata de facto existit, quæ alicuius accidentis immediatè passiva non sit, nimirum quantitatis, aut qualitatis, durationis, aut vbi-cationis, salteriusvè modi: igitur nulla substantia est, quæ alicuius accidentis immediatè actiua non sit: præsertim cum substantia ex genere suo perfectior accidente sit: igitur vt minimum substantia suarum proprietatum, & accidentium sibi in-hærentium immediatè effectiua erit. Secundo, quia aqua extrinsecus calefacta pristinam frigiditatem recuperat, eamque in se producit: igitur substantia suarum proprietatum immediatè actiua est. Antecedens experientia constat. Consequentià perspicua est.

Respondent cum Iauello plures Thomistæ, aquam recuperare pristinam frigiditatem vt occultæ cuiusdam qualitatis. Verum hæc occulta qualitas à qua causa producitur: si à solo Deo: cur etiam ab eo solo frigiditas produci nequeat, quin ad occultam qualitatem recurrere opus sit: si à substantia aquæ: ergo ab eadem frigiditas effici poterit: & vterius substantia alicuius accidentis immediatè actiua conceditur. Deinde si ad inui-sas qualitates, & occulta naturæ Sacramenta confugere sit fas, cur animæ ad producendas potentias suas occulta qualitas non insit? aut cur ad causam primam in productione, & conseruatione plurium causarum secundarum ab omnibus sæpe recurritur, cum in occultam aliquam qualitatem re-fundi facillè possint? Respondent alij, frigiditatem in eo euentu à solo Deo produci. Contrà tamen, quia eadem ratione omnis causarum secundarum efficientia in Deum reici posset: si enim aqua frigiditatem sibi cognatam, & secluso agente extrinsecò infrustrabiliter debitam in se minime producit, sed à solo Deo productum suscipit: cur calor v. g. alium calorem ad præsentiam sui necessario productum sibi tanquam causæ arrogare possit? Deinde deficiente substantia, quæ aliam substantiam producat, ad causam primam Thomistæ confugere renuunt, idque parum philosophicum esse asserunt: quo sic accidens substantiæ productiuum esse tueantur: in consequenter ergo in præsentii ad causam primam redeunt.

Affero secundò: substantia saltem partialiter
R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

est effectiua alterius substantiæ: quia solum accidens substantiæ causa adæquata esse nequit: igitur substantia saltem in consortio accidentis ad aliam substantiam concurrere debet. Antecedens perspicuum est: quia causa adæquata effectus perfectionem adæquare, & superare debet iuxta illud philosophicum axioma: *causa vel formaliter, vel eminenter effectum continere debet*: at accidens substantia imperfectius est, & eius perfectionem adæquare, aut superare non potest. Respondent Thomistæ, accidens nomine substantiæ, seu in virtute substantiæ substantiam efficere: quare substantia, quam efficit, imperfectius esse posse. Pro quo notant, aliud esse, causam operationis esse, aliud, virtutem operandi esse: causa est id, quod operatur: virtus autem id, quo aliquid operatur: causa autem effectum imperfectior esse non potest, secus verò causæ virtus: vnde cum accidens substantiæ non causa, sed virtus eius productiua sit, non est, cur substantiæ perfectionem attingere, aut excedere debeat. Verum quid hoc aliud, quam solutionis loco verba reddere, & prærerum inopia nomina nominibus cumulare? Et in primis accidens in sententia Thomistica substantiam producit etiam non existente ea substantia, in cuius virtute, & cuius nomine operatur: at in eo euentu substantia non existens propriè causa dici nequit: igitur solum accidens substantiæ causa dicenda erit, quod tamen cum eius imperfectione non cohæret. Deinde virtus effectiua substantiæ eius vera, & immediata causa est: perperam ergo causa, & virtus distinguuntur. Antecedens probatur: tum quia id, quo quid in actu secundo operatur, causalitas est: ergo id, quo quid in actu primo operatur, siue quo operari potest, causa est: at virtus effectiua substantiæ est id, quo substantia in actu primo fieri potest: eius igitur causa est. Tum, quia actus secundus effectus nuncupatur: igitur actus primus causa appellanda est: cum ergo virtus operandi actus primus sit, sanè causa censenda est: nisi forte Thomistæ inter actum primum, & secundum, causamque & effectum quid medium comminisci velint: cum tamen aliunde quidquid medium sonat, iam pridem exosum habeant.

Præterea: cum dicitur, substantiam solam esse causam substantiæ, & accidens virtutem eius productiuam: illamque vt quod, & hoc vt, quo operari: illam nomine proprio, & hoc nomine substantiæ solius: aut his vocibus significatur, solum accidens esse verè, & propriè productiuum substantiæ: eam tamen productionem non accidenti, sed substantiæ, cui inest, attribuit: & hoc nihil dictu est: quid enim ea attributio, quæ omnino arbitraria, & extrinseca est, & accidentis vires non augeat, prodèssè potest, vt accidens substantia imperfectius eam tamen se solo producere possit? Aut per eas verborum ambages significatur, substantiam solum esse causam mediatam, & remotam substantiæ: accidens autem esse causam proximam, & immediatam substantiæ: & hoc etiam aduersariis obesse, non prodèssè potest: si enim accidens ratione suæ imperfectionis causa remota substantiæ esse nequit: à fortiori eius causa proxima esse non poterit: cum causa proxima remota perfectior in ratione causæ sit. Aut demum per eas voces significatur, solum substantiam esse immediatè productiuam alterius substantiæ: virtutem autem, qua immediatè productiua est, esse
accidens

accidens : & hoc terminos repugnantes inuoluit : quo enim pacto substantia media virtute accidentali à se distincta operari , & tamen immediate operari potest ? Equidem id immediate productiuum substantiæ est , quod ab actione productiua substantiæ essentialiter respicitur : at actio productiua substantiæ iuxta aduersarios , solum accidens essentialiter respicit , & cum eo solo necessario connectitur . Adde , qua ratione ab aduersariis virtus productiua substantiæ eius causa esse negatur , eadem ratione dici posse , nullam creaturam causam esse , sed tantum esse virtutem operandi ; & nomine causæ primæ , & vniuersalis dumtaxat operari : quo nihil absurdius dici potest .

6. Secundo alij respondent , accidens tantum esse causam partialem substantiæ , ad cuius productionem in consortio causæ primæ concurrat : quare substantiā imperfectiorem esse posse : sic species impressa , iuxta plures , est causa efficiens partialis actus , quo tamen imperfectior est : sic etiam habitus , iuxta non paucos , actum producit ; à quo , si præextitisset , generari , & produci posset : & tamen actus , & habitus æqualis perfectionis non sunt ; sed vel actus habitum , vel habitus actum superat . Verum esto causa partialis secunda in alterius etiam secundæ consortio concurrens effectui imperfectior esse possit , quod exempla allata conuincunt : ceterum causa partialis , quæ talis sit respectu solius causæ primæ ; in genere verò causæ secundæ adæquata , & totalis sit ; effectui imperfectior esse nequit . Quod in hunc modum ostendo : quia calor v. g. calorem se intensiorem , seu perfectiorem in nullo subiecto tanquam causa totalis secundæ naturaliter producere nequit , vt experientia patentissimum est : igitur causa totalis secunda , quantumvis respectu primæ partialis sit , effectui imperfectior esse nequit .

7. Secundo principaliter nostra assertio probatur ad homines : quia accidens , iuxta plerisque Thomistas , simpliciter , & propriè ens non est : nec magis cum substantia in ratione entis conuenit , quam homo pictus in ratione hominis cum homine vero : igitur entis simpliciter , siue substantiæ causæ , seu virtus productiua esse nequit : aliàs carentia entis positiui vera causa dici posset : ergo substantia substantiæ causæ neganda non est . Tertio : quia , si substantia ab accidentibus ad eam disponentibus solum produceretur , quatuor primæ qualitates omnium , quæ efficiuntur , causæ effectrices essent : at incredibile est , virtutem adeo extensam , & vniuersalem iis quatuor qualitatibus conuenire . Quarto demum : quia cuiusvis effectus producti pene infinitæ causæ effectrices essent ; cum accidentia , quæ ad cuiusvis formæ substantialis productionem quodammodo disponunt , penè innumera sunt .

8. Assertio tertio : substantia est causa adæquata alterius substantiæ , ita vt ad eam accidens neutiquam efficienter concurrat . Probatur assertio : quia quoties datur causa vniuoca effectus ; ea sola ad eius productionem adæquatè concurrat : qua ratione in absentia caloris lux calorem producit ; ceterum præsentem calorem non lux , sed calor calorem producit : at ignis v. g. est causa vniuoca alterius ignis : igitur solus ignis ad alterius ignis productionem concurrat : equidem si cum igne ad productionem ignis calor concurrat , non erit , cur cum calore ad productionem caloris in extraneo subiecto ignis etiam non concurrat . Pater Hurtado

hanc etiam assertionem in præsentis disp. 9. sect. 5. in hunc modum probat : causa adæquata est , quæ omnes formalitates effectus continet : at vnus ignis omnes alterius formalitates continet : ergo eius adæquata causa est . Maiorem probat : quia ea ratione voluntas actus naturalis adæquata causa est : quia eius omnes formalitates , naturalitatem nimirum , & vitalitatem continet : actus etiam supernaturalis adæquata causa non est : quia eius supernaturalitatem non continet , sed solam eius vitalitatem . Verum hæc ratio difficilis est : tum quia duo gradus lucis vnus solum , non duos gradus lucis , velut causa adæquata , producere possunt : & vnus gradus lucis vnus gradum lucis sibi similem producere nequit : aliàs lux nullam actiuitatis sphaeram sibi præstiteret , cum carcat contrario , à quo eius actiuitas coerceri possit : at duo gradus lucis continent omnes formalitates aliorum duum , & vnus gradus alterius vnus : ergo , &c.

CAPVT II.

Argumenta contraria solvuntur.

9. Complura argumenta pro aduersariorum sententia adduci solent , quæ nullius momenti sunt , & ad peruetustas quasdam parcemias reuocantur , vt videre est apud P. Hurtado vbi supra : quocirca iis omisissis ea , quæ ab experientia deducuntur , expendenda mihi sunt : siquidem sæpe sapientius substantia producitur ad præsentiam solum accidentium , & absente omni substantia , à qua produci possit : ergo in iis euentis , ac proinde in quibusuis aliis , substantia ab accidentibus producit . Antecedens probatur : tum quia ferrum candens stupam comburit : at ferrum candens formam ferri retinet , & formam ignis non habet : igitur in eo euentu non forma substantialis ignis , sed solus calor ferri stupam ignire poterit . Tum quia cernimus duorum lapidum attritu ignem elicere , rotarum axes flammare , exhalationes celeri raptu per aëra libratas ardescere , sagittas scintillare : at his casibus ignis ab igne produci nequit : ergo solus calor motu excitatus ignem producit . Tum quia constat , mures , ranas , aliàsque bestiolas ex sola terræ putrefactione sæpè prognatas esse : cum ergo animalcula non ab aliis eiusdem speciei producantur : sanè ab accidentibus putrem materiam disponentibus solum produci poterunt . Tum demum : quia irradiatione lucis in speculo refractæ lana applicata comburitur ; in quo certè euentu solus calor ignem producere poterit .

10. Confirmatur primò : quia non nisi parum philosophicè in productione substantiarum ad causam primam recurritur : igitur accidentia , saltem tanquam causæ partiales , substantias producant . Confirmatur secundo : quia tametsi in præsentia causæ vniuocæ causæ æquiuocæ non concurrat , tamen deficiente causæ vniuocæ , causæ æquiuocæ concurrat : vnde lux calorem producit , esto , si alius calor adesset , is solus calefaceret . Deinde licet in præsentia causæ secundæ causæ primæ adæquatè concurrere nequeat , deficiente tamen causæ secundæ , causæ prima eius concursum supplet : vnde Deus calorem in absentia ignis , alteriusve calidi adæquatè conseruat , cum tamen , si adesset ignis , aliudve calidum

ab eo calor conservaretur: ergo similiter quantumvis accidens in praesentia substantiae aliam substantiam producere nequeat, tamen in eius absentia illam producere poterit. Confirmatur tertio: ignis generans efficit, ut causa secunda adequata, suas proprietates, v.g. calorem, siccitatem, vicationem, durationem &c. nequit igitur esse causa adequata efficiens ignis geniti: alioqui esset causa efficiens adequata alicuius effectus se perfectioris, cum complexum ignis geniti, & proprietatum ignis generantis & est perfectius, quam solus ignis generans, & hic non illius complexi, sed solius partis, nempe ignis geniti, perfectionem adequat. Tum sic: hoc ipso quod ignis generans haud possit esse causa efficiens adequata, secunda utique, ignis geniti, necesse est, ut alia causa secunda eius effectiva admittatur: at quae alia, nisi accidentia: haec ergo etiam praesente igne alium ignem partialiter efficiunt: a fortiori ergo deficiente igne, qui possit alium generare; alterius generatio, & effectio, saltem ex parte est accidentibus tribuenda.

11. Respondeo in primis, experientia à ferro candenti stupam amburentem deducta contra Thomistas aequè militat: siquidem non quivis calor ignis productivus est, sed dumtaxat calor ut octo, ut ipsi arbitrantur: à quo ergo calor ut octo in stupa producitur? non à calore ferri, cum hic ut octo non sit: alias formam ferri non compateretur, eamque cum forma ignis, cuius proprietates est, commutaret: neque etiam à causa prima: alias haec pari iure formam ignis in stupa produceret: ergo etiam Thomistis restat assignanda causa aliqua caloris ut octo in stupa productiva, quae certe ignis productiva à nobis dici poterit, quin ea productio in accidens aliquod refundatur: igitur dicendum est, in ferro candente complures esse poros igniculis scotos, & scintillis repletos: quod & experientia ferri scintillantem confirmat, & etiam ex eo perspicuum est: quia ferrum tunsonibus comprimitur, & in arctius spatium redigitur: non alia ratione, nisi quia eius pori, seu foruli clauduntur. Adde, partes etiam debiliores ipsius ferri in ignem converti: unde stupa non à calore ferri, sed ab eius igne in ignem convertitur.

Dices: si ferri candentis lamina tabula lignae applicetur, tota ignita, actutum apparebit, ut experientia constat: at si ab igniculis in ferri poris contentis ignesceret, non tota ignita appareret, sed praecise quoad eas partes, quae poris respondent: & lamina figura non tota, sed interpuncta, variegata ei imprimeretur: igitur tabula illa lignea ab igniculis ferro candenti clausis minimè incenditur. Verum facile responderi potest, igniculos ferro clausos partes ligni oppositas sibi amburere, has autem ambustas reliquas partes accendere: totum autem hoc unice pene instanti peragi; ita ut moraliter percipi nequeat, qualis pars materiae ferro applicata prius amburatur: cum enim pori igniti innumeri sint, innumeras materiae applicatae partes sibi respondentes comburent: haec autem partes combustae partes sibi contiguas, & intermixtas, & à partibus ferri sibi oppositas calefactas, & pene vitio dispositas eodem fere instanti comburere poterunt: ita ut in ea combustionem nulla successio, aut vicissitudo appareat.

12. Deinde secunda experientia deducta à rebus iis, quae motu, & collisione accenduntur, in Thomistas retorqueri potest: nimirum à quibus affi-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

gnari nequit causa productiva caloris, ut octo, qui ad formam ignis in iis eventis disponat: nec enim motus, nec raritas, ut alij, atque alij aduersariorum censent, eius caloris causa esse potest, ut numero sequenti ostendam: ergo vel ad causam primam, vel ad substantiam aliquam creatam iis recurrendum est: ergo eadem ratione productio ignis non in accidens aliquod, sed in substantiam creatam, aut incretam à nobis refundi poterit: quare ad eam experientiam dici debet, plerisque corporibus semina quaedam ignis, & spiritus quosdam non formaliter, sed virtualiter igneos inesse: quod variis experimentis suaderi potest: siquidem ignes subterranei in abditis terrae cavernis à calore solis minimè cieri posse videntur: cum calor solis vel nullo modo, vel certe adeo intensus eo usque descendere nequeat: ergo quia tellus his spiritibus referta est, qui motu, & collisione aeris erumpere conantis disponuntur, ut sulfureas venas, & varia bitumina accendant. Deinde exhalationes ignitae noctu à calore solis minimè inflammantur: ergo intra poros, & concava aeris haec subtiles substantiae concedendae sunt, quae certe interdum disponi possunt, ut aerem accendant. Idem argumentum in fulgetris, fulminibus, cometis, aliisque meteoris fieri potest: quorum certe accensio non nisi in haec ignis semina reuocari potest.

13. Præterea in casibus argumento adductis nec motus, nec raritas calorem ut octo causare possunt: igitur & substantiae igneae concedendae sunt, à quibus tum eiusmodi calor, tum etiam ignis causetur. Antecedens probatur quoad primam partem: quia motus, siue impulsus calore imperfectior est: igitur eius causa adequata esse nequit. Deinde quia motus in primo spatio temporis elicitur calorem ut octo ad ignis formam sufficientem minimè causat, ut compertum est: at motus ei succedens priorem calorem solum conservat: ergo nullus motus calorem ut octo igni sufficientem causare potest. Minor perspicua est: quia quoties una lucerna aequalis alteri ei succedit, non novam lucem producit, sed priorem conservat: ergo cum vni motui alter aequalis succedit, non novum calorem priore intensiorem producit, sed priorem conservabit. Quoad secundam partem idem antecedens probatur: tum quia ratione motus nec sagitta, nec rotarum axes, nec collisi lapides rarefiunt: igitur in eo eventum à raritate calor ut octo produci non poterit. Tum quia calor raritate perfectior est: igitur raritas caloris causa esse nequit.

14. Quod ad animalcula ex putrefactione telluris prognata attinet, eadem ratione respondendum censleo virtute solis, & astrorum, terrae, & vaporum, aliarumque causarum per accidens concurrentium elaborari fibram quandam substantialem, quae sit veluti semen animalis, & eius organizationem mire producat, & in illius corpus organizatum formam animalis efficienter influat. Quod autem in procreatione viventium hic sit naturae tenor, experientia testatur: equis enim non videat, in ovo, præter croceum, quod in pullum convertitur; aliam esse massam quandam tenuem, quae pullo producto superstes est: eiusque formam producit: alias cui muneri deservire possit ad alimentum enim, & fomentum pulli non illa, sed ovi albugo à natura destinata praecipue est: esto etiam ea à pullo in suam substantiam convertatur. Idem etiam

Q 2

cernere

cernere est in grano tritici, in quo præter id, quod in spicam conuertitur, superest alia ipartícula, quæ formam spicæ producit, & quam formicæ in cibum sibi amputant. Porro autem in iis substantiis seminalibus animaduertendum est, eas non concurrere tanquam causas secundas adæquatas ad formas substantiales, siue vitales, siue vitæ expertes, cum hæc semper, aut certe plerumque iis perfectiores sint: quare Deus velut causa prima supplet, quod iis seminibus deest, & in quo à suis effectis perfectione superantur. Et quidem præfatas substantias seminales, quales explicuimus, insinuasse videtur iam olim Lucretius lib. 1. de natura rerum.

*Verum semina multimodis immista latere
Multarum rerum in rebus communia debent.
At sæpe in magnis sit montibus, (inquis) ut aliis
Arboribus vicina cacumina summa terantur
Inter se, validis facere id cogentibus Austris:
Donec fulserunt flamma fulgore coorto.
Scilicet, & non est lignis tamen insitus ignis.
Verum semina sunt ardoris multa: terendo
Quæ cum confluxere, creant incendia syluis.*

Quamuis autem superiorem solutionem valde probabilem existimem; at etiam cum Scoto probabile arbitror, animalia ex putrefactione prognata à sole, & corporibus cælestibus efficienter produci, & in primis distantia cælorum huic effecti non obstat, ut supra ostendimus. Deinde quod cæli vitæ expertes sint, nequiquam obstat: licet enim viuientibus sensibilibus imperfectis imperfectiores sint, adhuc ad eorum productionem efficienter concurrere poterunt: cum eorum causæ secundæ tantum inadæquate sint; suppleto Deo, quod iis deficit, ut paulo supra aiebamus. Quid? quod cæli quantumvis vitæ expertes plantis perfectiores sint, sicut ad earum productionem oportet? nam id genus vitæ, quæ plantæ pollent, imperfectissima est: & in eo tantum ab aggeneratione differt, quod planta in nutritione vitali materiam, qua alenda est, per poros sensum attrahat: ignis autem v.g. materiam, qua augendus est, ea subtilitate sibi non attrahat, sed in spatio pristino relictam immutat, ac forma ignis afficiat. Hinc ad vltimam experientiam constat: siquidem ubi irradiatione lucis in chrystallo refractæ lana approximata comburitur, & in ignem conuertitur, is effectus non alicui accidenti, sed substantiæ solis attribui potest, ac debet.

Ad primam confirmationem contrariam dicendum est, accidenti concedendum non esse concursum partialem simul cum substantia ad productionem substantiæ, eo fine, ne videlicet sit recursus ad causam primam: tum quia deficiente causa secunda proportionata recursus ad causam primam absurdus non est, sed rationi, & Philosophiæ consonus: tum quia secluso concursu etiam partiali accidentis in substantiam adhuc ad causam primam solam recurrendum non est, cum substantia substantiæ productiua efficere videtur: siquidem substantiæ quædam seminales rebus omnibus insitæ, vel si maius, corpora cælestia, non verò accidentia, substantiam in iis euentis producant. Ad secundam confirmationem: Causa prima perfectior est secunda, & causa æquiouoca perfectior etiam est vniuoca, lux v.g. calore: unde causa prima defectum secundæ, & æquiouoca defectum vniuocæ supplere potest: at accidens

perfectius non est, quam substantia, nec æquæ perfectum: proinde substantia absentis munus obire, aliāve substantiam producere, non poterit.

Ad tertiam confirmationem respondent aliqui, complexum ignis geniti, & proprietatum accidentalium ignis generantis esse quidem extensiuè perfectius igne generante, non tamen simpliciter & intensiuè. Verum quàm falsa sit hæc doctrina inde patet, quod complexum hominis, & gratiæ sanctificantis sit simpliciter, & intensiuè perfectius solo homine: siquidem simpliciter, & verè loquendo Deus magis amat hominem gratum, sanctumque, quàm hominem se solo, & absque sanctitate sumptum: quo nihil euidentiùs: similiter ergo in præsentī, &c. Rursus secundo, etsi perfectio simpliciter infinita ac summa alteri addita non faciat simpliciter, & intensiuè maius, ut liquet in personis diuinis, quæ simul sumptæ non superant perfectione quamlibet seorsim: at de perfectionibus finitis aliter dicendum est, atque existimandum: ignis autem genitus est perfectionis finitæ; neque non etiam proprietates ignis generantis sunt finitè perfectæ: hæc igitur simul cum illo sunt quid perfectius intensiuè, quàm solus ignis genitus: ac proinde, quàm ignis generans, si cætera sint paria.

Respondent secundo alij, ignem generantem pro vno signo naturæ efficere suas proprietates, & pro alio sequenti ignem genitum: non esse autem absurdum, quod pro diuersis naturæ signis, ignis generans efficiat aliquid se intensiuè perfectius; dummodo in eodem signo, eodemque veluti conatu illud non producat: quo pacto in diuersis instantibus realibus vnus ignis producit plures ignes realiter distinctos, seque intensiuè perfectiores, quos tamen in eodem instanti reali nequit producere. Contra tamen, quia diuersitas, ac successio instantium naturæ est vera, ac realis simultas, tantumque est ratione tenus successio: causam ergo producere quidpiam se perfectius pro diuersis instantibus naturæ est illud simul, semelque producere: at causa producens in diuersis instantibus realibus aliquid se perfectius, non simul, sed successiuè illud producit: ex hoc igitur posteriori ad istud prius perperam arguitur. Præterea tamen si quis possit in diuersis instantibus temporis realis assentiri, & positiuè dissentiri; secus tamen in diuersis instantibus naturæ, siue signis eiusdem instantis realis: cuius oppositum, & falsissimè. Nemo Neothericorum insinuauit; at falsissimè. Quidquid autem de hoc sit, omnibus euidentiissimum est, haud posse intellectum in eodem instanti reali, pro quæ diuersis eius signis assentiri, & non assentiri, siue habere assensum, & carentiam assensus: & tamen potest pro diuersis instantibus temporis: pari ergo ratione in præsentiarum, &c.

Tertio alij respondent, seu potius instant; neque accidentia ignis generantis simul cum eo coefficere ignem genitum, quippe quæ totam suam virtutem impendunt in productione accidentium sibi omnino similium, & æqualium, quibus passum disponitur ad formam substantialem ignis geniti; neque etiam accidentia passi præstare eam coëfficiendam, aut concursum; cum enim ita disponant materiam ad recipiendam formam ignis, ut hanc ne inadæquate recipiant, quidni ita disponant illam ad hoc, ut possit ignis generans efficere in ea ignem genitum, ut ad

17.

18.

19.

ad huius effectiorem ne partialiter concurrant? Sed facile aduersarij eludunt hanc difficultatem, dicentes, accidentia solius passi efficere simul cum igne generante ignem genitum: quamuis autem sint meræ dispositiones ad receptionem, non verò causæ receptiue etiam partiales; at posse, ac debere esse non tantum dispositiones ad effectiorem ignis geniti, sed etiam causas eius effectiuas inadæquatas: quia nimirum ignis generans non perinde esse potest causa adæquata efficiens ignis geniti, sicut materia prima esse potest, ac debet causa adæquata receptiua formæ substantialis, qua constat ignis genitus.

20. Melius ergo, & facilius responderi potest ad tertiam illam confirmationem superiorem, qua Recentiores communiter implicari, ac turbari videntur, ignem genitum, & proprietates ignis generantis non esse quid simpliciter perfectius solo igne generante: nimirum quia ignis generans est maior, pluresque partes substantiales habet, quam ignis genitus: partes autem illæ penes quas ignem genitum excedit, æquivalent proprietatibus, de quibus est sermo; imò etiam iis præponderant: quare non est, cur per earum coniunctionem, & accessionem ignis genitus sit simpliciter perfectior generante: id enim esset, substantiam aliquam, & accidentia cæteris paribus esse maioris perfectionis, quam duas substantias: quo nihil inuicem similius. Ratio autem, cur ignis generans maior sit ac plurimum partium, quam genitus, perspicua est: videlicet, quia agit in passio vniformiter difformiter, hoc est prius citiusque in parte propinquiori, quam in remotiori: quare ignis palmariis v. g. simul non ignefacit palmum materiæ sibi approximatum, sed partem illius anteriorem, ac se minorem: & sic nunquam efficit ignem æqualis secum quantitatis, sed minoris, prout dictum manet. Atque hinc patet, concessio confirmationis illius tertie antecedenti, eius consequentiam, & consequentiæ probationem reiiciendas esse, vt omnino falsas.

21. Porro autem, etsi hæc solutio plana, & expedita sit in principijs eorum, qui in continuo non admittunt nisi partes in infinitum versus minimum scissiles: at quid dicendum, si continuum constat ex punctis, siue solis, vt multi arbitrantur, siue non solis, sed potius partes variegantibus, earumque infinite numerositati infinities immixtis? ubi enim hoc posterius ita se habeat, certe in vno instanti A. v. g. punctum ignis generantis efficit punctum ignis geniti sibi æquale: nequibit igitur illud adæquate efficere, & non potius in consortio accidentium, iisque adminiculantibus, partialemque præstantibus concursum: alioqui, cum suas proprietates efficiat, erit, vt sit causa efficiens adæquata complexi se perfectioris. Verum enimvero vti tres gradus lucis v. g. efficiunt duos in subiecto sibi proximo, & duo efficiunt vnum; vnus autem se solo haud potest alium producere, ne videlicet lux omni careat actiuitatis sphaera, atque sine, iuxta dicta ad finem cap. præcedentis: ita similiter credendum est, non vnum punctum ignis, sed duo ad aliud efficienter concurrere: quidni enim ignis ad instar lucis præscribat sibi per se, & non per accidens, aut ratione contrarij sphaeram actiuitatis in ignefaciendo? nulla autem melior eius sibi vendicanda, ac præscribenda ratio, quam si ignis generans, siue quoad partes diuisibiles, siue etiam quoad indiuisibilia maior sit quam ge-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

nitus, & hic minor, minorque, donec eadē finiatur.

22. Responderi etiam secundo potest ad tertiam illam confirmationem, permittendo disputandi gratia, ignem generantem, eo quod efficiat suas proprietates, esse causam effectiuam tantum inadæquatam ignis geniti: at non ob id huius causa efficiens partialis erunt accidentia vlla: sed vel semina substantialia ignis in passio latentia: vel certe corpora cælestia. Et quidem, si hæc cum igne ad alium similem producendum, & quod consequens est, cum quouis agente sublunari ad suos effectus concurrant, apprimè explicari poterit maxima illa dependentia huius mundi inferioris, ac sub cælestis à mundo cælesti, siue superiori, non tantum in essendo, sed etiam in operando. Quod verò attinet ad substantias seminales virtualiter igneas in passio repertas, nescio, cur non possimus ad eas consequentiissime recurrere, eoque saltem iure, quo aduersarij recurrunt ad accidentia se tenentia ex parte passi, iisque substantiæ partialem effectiorem attribuunt.

CAPVT III.

An causa efficiens, creata non solum naturaliter, verum etiam obedientialiter per se ipsam actiua sit?

23. Potentia obedientialis actiua est quæ creatura in productione effectuum sibi minimè connaturalium creatori suo obedire potest: aut qua velut instrumentum à Deo eleuari potest ad producendos effectus, quos nulla vi naturali producere potest; seu ad quorum productionem principia necessaria ei indebita sunt. Porro aliquam potentiam obedientialem actiuam re ipsa esse omnes Catholici Doctores, vno excepto Ioanne Vincentino Dominicano in relectione de gratia, constantissimè tuerentur cum Augustino l. 9. in Genes. ad literam. c. 17. & 18. ibi: *super hunc autem motum, cursumque rerum naturalium potestas creatoris habet apud se posse de iis omnibus facere aliud, quam eorum quasi rationes seminales habent.* Quod autem ibi sermo sit non solum de potentia obedientiali passiuâ, verum etiam actiuâ, conspicuum est: quia sermo est de ea potentia ratione cuius, vt verbis Augustini indidem vtat, *lignum de terra scissum aridum, perpolitum, sine radice vlla, sine terra, & aqua repente floreat, & fructum gignat, vt per inuentam sterilis femina in senectute pariat, vt asina loquatur &c.*

24. An autem hæc actiuitas obedientialis immediata sit, ita vt ipsa entitas naturalis effectus sibi minimè proportionatos, & connaturales per potentiam quandam inchoatam, & partialem immediatè attingat? an verò ea actiuitas tantum mediata sit, ita vt tota ratio agendi sit habitus, aut qualitas, modusve supernaturalis causæ naturali supernaturaliter addita inter Authores acerrimè decertatur. Theologi omnes nostræ Societatis vnanimi, & pleno cōsensu actiuitatem illam obedientialem immediatam affirmant. Contra verò Thomistæ eam negant tanta vtriusque partis cōtentione, vt post controuersiam de efficacia gratiæ nulla magis inter nostros, & Thomistas controuersa sit. Porro sicut aduersarij in explicanda actiuitate obedientiali mediata diuisi sunt: ita nostri in explicanda actiuitate obedientiali immediata admodum non consentiant. Etenim P.

Q 3 Suarez

Starez tom. 1. in 3. p. disput. 31. sect. 6. cum non paucis censet, potentiam obedientialem immediatè actiuam eiusmodi esse in ordine ad omnes effectus possibiles: ita vt nullus effectus quantumuis improporcionatus sit, ad cuius immediatam effectiōnem Deus quamuis creaturam eleuare nequeat: at P. Vasquez tomo 2. in 1. part. disput. 176. capite 3. cum nonnullis potentiam obedientialem immediatè actiuam in solis potentiis vitalibus ad solos actus supernaturales, & vitales admittit: aliās autem potentiam obedientialem mediātè actiuam esse tuetur: ceterū actiuitatem obedientialem immediatam nec adeo contractam, nec adeo diffusam, sicut ab aliis, aliisque nostrorum adstruitur, sed potius paulo aliter explicandam duxerim. Quare

25. Afferō primò: voluntas habet potentiam obedientialem immediatè actiuam actuum supernaturalium: eadem est ratio de intellectu. Probatur primo authoritate Concilij Tridentini capite 16. sess. 6. can. 4. ibi: *si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, sed veluti inanimè quiddam nihil omnino agere, merèque passiuè se habere, anathema sit.* Vnde sic argumentor: si tota ratio agendi consensum salutarem, & supernaturalem esset gratia, & voluntas eum immediatè non ageret: sanè voluntas respectu eius consensus merè passiuè se haberet: sicut lapis sursum proiectus medio impetu in se recepto respectu eius motus merè passiuè se habet: consequens Tridentino aperte repugnat. Verum huius testimonij vim prodigitate expendere non Philosophici, sed Theologici muneris est.

26. Probatur secundo: quia ad libertatem consensus supernaturalis oportet, vt sicut ab aliquo immediatè, & vt quo ponitur: ita ab aliquo immediatè, & vt quo suspendi, & cohiberi possit: quibus terminis vtōr, ne aduersarij ad solita verborum inuolucra, & latibula confugiant: at is consensus à nullo immediatè, & vt quo suspendi potest, si tota ratio eum agendi sit habitus supernaturalis: ergo data ea hypothēsi liber esse non poterit. Minor suadetur: quia in primis ab habitu supernaturali immediatè, & vt quo suspendi nequit: tum quia in habitum charitatis, siue amoris Dei velut in causam nihil refundi potest, nisi actus amoris Dei: aliās ab habitu charitatis actus temperantiæ, prudentiæ, alteriusve virtutis naturalis: imò odium, Dei, quod plusest, immediatè prodire posset: at suspensio, siue cohibitio amoris Dei supernaturalis amor Dei supernaturalis non est. Tum quia si habitus charitatis actum supernaturalem amoris Dei immediatè, & vt quo suspendere posset: haud aliter ac eum producere potest: sanè habitus charitatis esset principium liberum in actu primo, vtpote quod agere, & non agere potest: quare præter voluntatem alia facultas libera esset, & in homine duplex liberum arbitrium esset: aliud naturale, & aliud supernaturale: & voluntas hominis solum medio habitu in actu primo libero ad consensum supernaturalem libera esset: ac per consequens sicut actus exterior propriè liber non est, quia solum est liber medio actu interiori, à quo dimanat: ita similiter voluntas non

esset propriè libera in actu primo proximo ad consensum supernaturalem, cum ad eum duntaxat libera sit per denominationem ab habitu libero, quem in se suscipit: quæ certè periculosa, & in scholis inaudita sunt. Tum demum: quia consensus supernaturalis cohiberi non potest, nisi per nolitionem eius positiuam, vel per meram eius omissionem, quæ sit virtualis, & interpretatiua nolitio consensus, vt certo certius est: at habitus charitatis consensum supernaturalem cohibere nequit per nolitionem eius positiuam, cum eiusmodi nolitio positua amor Dei formalis, aut virtualis non sit; obiectumque charitatis nempe diuinam bonitatem neutiquam respiciat: neque etiam per nolitionem virtualem, & interpretatiuam: cui enim impossibilis est nolitio formalis, & positua; ei nolitio virtualis, & interpretatiua omnino repugnat: quo enim pacto quod impossibile est esse, esse tamen prudenter interpretari possumus: at habitui charitatis nolitio positua, & formalis repugnat.

27. Quod autem voluntas immediatè, & vt quo eum consensum supernaturalem suspendere, & cohibere nequeat, pari ratione suadetur: quia nec per puram eius omissionem, nec per positiuam eius nolitionem eum suspendere potest: ergo nullo modo. Prius probatur: tum quia, iuxta non paucos Thomistas, pura ommissio impossibilis est: tum quia ea facultas sola actionem purè omittere potest, quæ actionem conferre potest, eamque negare, quæ eam dare potest: at voluntas actionem productiuam consensus supernaturalis immediatè, & vt quo dare, & conferre nequit: ergo immediatè & vt quo eam per puram omissionem suspendere, & negare nequit. Posterius verò suadetur: tum quia, iuxta non paucos aduersarios, libertas contradictionis non est ad actum, & nolitionem positiuam actus, sed ad actum, & meram omissionem actus: at voluntas ad consensum supernaturalem libera libertate contradictionis esse potest, & solet: ergo libertas in ordine ad nolitionem positiuam consensus voluntati possibilem perperam explicatur. Tum quia nequit voluntas per nolitionem positiuam immediatè suspendere, & cohibere nisi id, quod immediatè ab ipsa dependet: at consensus supernaturalis ab ea immediatè non dependet, sed medio habitu: ergo &c. Maior perspicua est: quia ideo non possum per nolitionem positiuam suspendere, & cohibere perpetuum circum nos properantis cœli, motum verbi gratia, quia motus cœli à me non dependet: igitur, si consensus supernaturalis à voluntate immediatè non dependet, voluntas per positiuam nolitionem, eum immediatè suspendere non poterit.

28. Tertio probatur nostra assertio: quia non repugnat potentia obedientialis immediatè passua: ergo nec immediatè actiua. Antecedens perspicuum est: quia voluntas immediatè passua est gratiæ, & actuum, ac habituum supernaturalium; & humanitas Christi immediatè passua est vnionis hypostaticæ: non naturaliter: ergo obedientialiter. Consequentia sine vllo discrimine esse videtur. Dices primò: pari formalissimè est subiici: quare creatura in patiendo formas sibi non connaturales Deo subiici,

fieri, & obedire poterit: at agere subici non est. Verum hæ voces inanes sunt: siquidem in agendo perfectissima subiectio, & obedientia esse potest. Dices secundo, causas actiuas determinatam sphaeram actiuitatis sibi præscribere, ultra quam nihil operari possunt: causas autem passiuas sphaeram actiuitatis non habere: quare eæ, non illæ ad effectus sibi minimè connaturales eleuari poterunt. Contra tamen, quia causa passiuæ sphaeram passiuatatis, ut italoquar, sibi præscribunt: & tamen pati possunt diuinitus plura, quæ naturaliter suscipere nequeunt: ergo esto causa actiua, &c. Antecedens perspicuum est: etenim spiritualia formas merè spirituales suscipere possunt, non vero formas materiales adæquate, & materialia à contrario formas materiales, non spirituales sustentare possunt: idemque aliis exemplis confirmari possit. Dices tertio, causas efficientes propriè causas esse, secus vero passiuas: quare eæ, non illæ eleuari possunt: contra tamen primò, quia causa passiuæ propriè causa est, ut infra tract. 9. ostendam. Deinde: si causa improprie talis ea perfectione prædita est, ut effectus supernaturales à Deo eleuata causare possit, quanto magis id de causa propriè tali, & magis perfecta dicendum est?

29. Affero secundò: quæuis causa naturalis habet potentiam obedientialem, qua immediatè actiua est plurium effectuum, qui nec ratione vitalitatis, nec ratione alterius prædicari ab ea produci postulent: aqua v. g. est immediatè actiua gratiæ, ignis qualitatibus doloriferæ in damnatis, & sic de aliis. Assertio probatur primò, quia eiusmodi obedientia, & subiectio longè perfectior est: & aliunde nulla in ea repugnantia apparet, ut solutione argumentorum perspicuum erit: ergo in quavis creatura respectu creatoris concedenda est. Secundò quia magis gratia superat naturam, & actiuitatem aquæ, quam actus supernaturales naturam, & actiuitatem voluntatis excedunt: at voluntas diuinitus eleuari potest ad immediatam productionem actuum supernaturalium: ergo & aqua v. g. ad immediatam productionem gratiæ, aliorumque donorum supernaturalium. Antecedens perspicuum est. Consequentia videtur sine vllò discrimine: si quid enim esset, maximè quia in actu supernaturali reperitur vitalitas, quæ voluntati specialiter correspondet; cum tamen in gratia nulla sit formalitas, quæ aquæ speciali titulo corresponderet: aut quia actus supernaturalis postulet provenire à voluntate licet è conuerso: cum tamen nec gratia ab aqua produci postulet, nec vice versa: at neutrum discrimen sustineri potest.

30. Quod primò à Patre Vasquez fusè traditum momenti non sit, suadetur: quia gratia, & verba sacramentorum, nimirum sonus successiue editus in ratione qualitatis conueniunt: haud aliter ac voluntas, & actus supernaturalis in ratione vitalis conueniunt: imò prior illa conuenientia longè maior est, quàm hæc posterior: sicut enim qualitas gratiam transcendens longè diuersæ rationis est, ac qualitas in sono sacramentali reperienda; eo quod altera sit qualitas supernaturalis; altera vero naturalis: ita similiter vitalitas reperta in actu supernaturali supernaturalis est, cum tamen vitalitas voluntatis naturalis sit: aliunde vero sonus ad rationem sacramenti eleuatus cum gratia in eo conuenit, quod tam fo-

nus, quam gratia qualitas in actu secundo sit, cum tamen voluntas tantum in actu primo vitalis, actus verò supernaturalis in actu secundo vitalis sit: quare magis conueniunt in ratione qualitatis verba sacramenti, & gratia, quàm voluntas, & actus supernaturalis in ratione vitalis: at voluntas actum supernaturalem diuinitus producere potest, eò quod cum eo in ratione vitalis conueniat: seu, quod perinde est, eò quod vitalitas in actu supernaturali ei correspondeat: cur igitur verba sacramentorum nequeant supernaturaliter producere gratiam, cum qua in ratione qualitatis conueniunt, & in qua hæc formalitas ei responderet?

31. Quod autem secundum discrimen Recentioribus magis probatum probabilius non sit, ita suadetur: quia omnipotentia Dei, & eius absoluta potestas superat non tantum exigentiam solius causæ, verum etiam exigentiam causæ, & effectus simul: at Deus ita superat exigentiam solius causæ, ut causam eleuare possit ad immediatè producendum aliquid, cuius productionem causa non exigit: ergo etiam ita superat exigentiam causæ, & effectus simul & semel, ut eleuare possit causam ad producendum aliquid, cuius productionem nec causa, nec effectus postulet: aliàs dominium Dei diminutum, & imperfectum esset, nimirum quod exigentiam solius causæ, non vero causæ, & effectus simul superare possit. Rursus, iuxta aduersarios, duæ causæ diuinitus eleuari possunt ad producendum totaliter eundem effectum: at neque duæ causæ postulant eundem effectum totaliter producere, sed potius concursum suum attemperare: neque effectus à duabus causis totalibus produci postulat: ergo licet aqua gratiam producere, aut hæc ab illa produci minimè postulet: adhuc illa ad huius immediatam productionem euehi supernaturaliter poterit. Præterea nec Deus naturaliter postulat, aut potest creare accidentia Eucharistica, nec hæc etiam à Deo creati postulant, sed potius educi: & tamen supernaturaliter à Deo creantur: ergo quamuis causa aliqua effectum supernaturalem producere non postulet, nec effectus supernaturalis ab ea causa produci postulet, tamen supernaturaliter eleuari poterit eiusmodi causa, ut eum effectum immediatè producat. Deinde idem corpus in duobus locis diuinitus collocari potest, esto nec corpus eos locos adæquatos occupare, nec ij loci corpus continere postulent: & humanitas Christi Verbo vnitur; esto nec humanitas, nec Verbum eam vnionem postulent: ergo similiter in præfenti, &c.

32. Affero tertio: quæuis causa creata ad quoscumque effectus supernaturales potentiam obedientialem immediatè actiuam nequiquam sortitur. Assertio probatur: primò, quia causa naturalis certam, ac definitam actiuitatis sphaeram sibi præscribit, ultra quam nihil operari naturaliter potest: ergo etiam causa obedientialis certam, ac limitatam actiuitatis sphaeram sibi præscribit, ultra quam nihil supernaturaliter agere possit. Antecedens experientia certissimum est. Consequentia probatur: quia ideo actiuitas naturalis ad omnes effectus possibiles non est, sed potius certam sibi sphaeram præscribit, quia est actiuitas causæ creatæ, & imperfectæ: at actiuitas etiam obedientialis est actiuitas causæ

creata, & imperfecta, cum sola causa creata, & imperfecta subiici, & obedire possit. Dices, causam obedientialem non operari viribus propriis, sed alienis, nimirum Creatoris, à quo eleuatur: cum ergo creator nullam actiuitatis sphaeram sibi praefiniat, mirum non est, quod causa obedientialis eius virtute operans nullos actiuitatis fines habeat: at causa naturalis viribus propriis operatur: contra tamen, quia etiam causa obedientialis viribus propriis partialiter operatur, haud secus ac causa naturalis: ergo non minus una quam altera limitatam actiuitatis sphaeram sibi praestituit. Antecedens ex nuper positis compertum est, quia comprincipia supernaturalia causam obedientialem eleuantia tota ratio agendi non sunt, sed potius ipsa causa obedientialis suas in agendo partes habet: igitur viribus propriis partialiter operatur: quod autem viribus propriis instrumentaliter tantum, & minus principaliter operetur, cum tamen vires creatoris eam eleuantis magis principales sint, nequaquam in contrarium obstat: siquidem causa etiam naturalis viribus propriis instrumentaliter, & minus principaliter operatur: & creator cum ea concurrens potiores, & magis principales in agendo partes sibi vendicat.

33. Secundò probatur tertia assertio: causa formalis quosdam habet effectus formales, quos naturaliter tribuere potest; alios vero quos obedientialiter, & à Deo eleuata potest; & longè plures, quos ne obedientialiter inferre valet: ergo similiter causa efficiens creata, &c. Antecedens exploratum est: siquidem intellectio humana hominem intelligentem naturaliter denominat: quod si in qualitate sita sit in Angelo poni, & eum intelligentem denominare obedientialiter potest: alios autem effectus formales, nimirum volentis, subsistentis, quanti, albi, &c. ne obedientialiter, aut à Deo eleuata tribuere potest. Consequentia probatur: quia ideo causa formalis aliquos effectus formales, non omnes etiam obedientialiter tribuere potest: quia est finita, & limitata: si enim intellectio creata v.g. eam infinitatem haberet ratione cuius omnibus formis creatis possibilibus aequivaleret, ita ut esset non solum intellectio, verum etiam subsistentia, vbicatio, duratio; sanè omnes omnium formarum possibilitium formales effectus saltem obedientialiter tribuere posset: at etiam causa efficiens finita, & limitata est: ergo quoscunque effectus efficere nequit.

CAPVT IV.

Argumenta contraria soluuntur.

34. **O**biicies contra primam assertionem: si voluntas virtute partiali sibi cognata, & identificata, actus supernaturales à Deo eleuata producere posset, respectu eorum causa principalis, & non instrumentalis futura esset: at voluntatem esse causam principalem actuum supernaturalium, & gratiam causam instrumentalem, & minus principalem absurdum, & parum catholicum est: ergo, &c. Maior suadetur: quia ut ait S. Thom. 3. p. q. 62. art. 3. in corp. causa instrumentalis non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum, quo ab agente principali mouetur: ergo

si voluntas per virtutem suae formae, siue essentiae identificatam operatur actus supernaturales, eos non instrumentaliter, sed principaliter operabitur. Hanc obiectionem idcirco apposui, ut quid sit causa principalis, & instrumentalis breuiter expediam, quaestionemque merè vocalem ab aliis fusiùs, quam oportet, agitatam, quasi in transcurfu delibem: eius autem diuisionis sensus vagus, & æquiuocus est: siquidem primò causa principalis dici solet suppositum, cui actio tribuitur: instrumentalis vero forma, siue virtus, per quam suppositum agit: qua ratione homo principaliter intelligit, anima autem intellectio- nis instrumentum est. Secundò causa principalis dici solet, quae immediatè effectum attingit: instrumentalis verò, quae non effectum, sed dispositionem aliquam ad effectum immediatè attingit: qua ratione ignis ignem immediatè produciens, eius causa principalis est: calor autem ignis insitus respectu ignis producti causa instrumentalis est, eò quod solum calorem ad ignem disponentem immediatè producat. Tertio, causa instrumentalis dici solet, quae ab alio mota, & praeuie affecta operatur: qua ratione serra dicitur causa instrumentalis respectu artificis, à quo impellitur, & agitur: principalis vero dicitur ea, quae potius mouet, quam mota operatur.

Verum ut rectè annotat P. Suarez disput. 17. Metaphys. sect. 2. haec omnes acceptiones causae principalis, & instrumentalis impropriae sunt: quis enim neget, ignem ignis à se immediatè producti, & calorem caloris causas principales esse? cum tamen neque calor, neque forma ignis supposita sint: aut quis neget, speciem impressam esse causam instrumentalem actus intellectus, & habitum actus voluntatis? cum tamen nec species impressa, nec habitus dispositionem aliquam ad actum intellectus, aut actum voluntatis, sed immediatè ipsos actus operentur. Deinde nec species impressa, nec habitus voluntatis praeuium aliquem impulsu, aut motum suscipiunt ad hoc, ut voluntati, aut intellectui cooperentur: & tamen non causae principales, sed instrumenta intellectus, & voluntatis censentur. Quare causa principalis & instrumentalis proprie sumptae bifariam explicari possunt, ac debent: primo per ordinem vnus causae ad aliam; secundò per ordinem causae ad effectum. Quod ad priorem sensum attinet, causa principalis dici solet, quae per virtutem ab alia secum concurrente non acceptam operatur: instrumentalis vero, quae per virtutem ab alia causa secum concurrente acceptam operatur: & hac ratione Deus omnium effectuum causa principalis, causae vero creatae mera eius instrumenta dici solent. Quod ad posteriorem sensum attinet, causa instrumentalis dici consuevit causa obedientialis, siue eleuata ad effectum; aut certè causa naturalis productiua effectus se nobilioris: causa autem principalis, quae effectum aequè, aut minus nobilem naturaliter producit, vel certè non tanquam eleuata, sed tanquam eleuans operatur.

Quibus constitutis argumento respondere promptum est, negata maiori: quia aut actiua voluntatis comparatur cum effectui: & ita instrumentalis, non principalis est, cum non ut eleuans, sed ut eleuata per principia sibi indebita effectum supernaturalem producat: aut ea actiuitas comparatur cum causis, quibus coope-

ratur,

ratur, & ita etiam instrumentalis est: siquidem voluntas actum supernaturalem per virtutem à Deo secum concurrente acceptam operatur, imò eum operatur per virtutem à gratia secum concurrente acceptam, cum gratia in genere causæ formalis voluntatem potentem operari denominet: D. Thomas autem de causâ principali, & instrumentali improprie sumptis intelligendus est. Obiicies secundò: concors est Patrum sententia contra Pelagium, viribus naturæ nihil supernaturale, aut ad salutem utile à nobis fieri posse iuxta illud Pauli: *non est volentis, nec recurrentis, sed Dei miserentis*: at si habitus supernaturalis non esset tota ratio agendi, aliquid supernaturale, & salutare à nobis fieret viribus naturæ, nimirum viribus voluntatis, quæ vires naturæ sunt. Deinde communis Patrum sententia est contra Semipelagianos, salutis opus totum, & integrum Deo tribuendum esse, & non partim Deo, partim naturæ: sic ut alij omittantur, Augustinus de dono perseverantiæ cap. 9. ibi: *utiores igitur vivimus, si totum Deo damus, non autem hos illi ex parte, & nobis ex parte committimus*: at, si gratia non esset tota ratio agendi actum salutarem, ac supernaturalem, opus salutis non integrum, ac totum, sed cum natura diuisum Deo attribui posset, ac deberet.

37. Respondeo, id solum Patres contra Pelagium eniti, vires naturæ sibi relictas nihil supernaturale, aut ad salutem utile efficere posse, easque solum adiutas, & præuentas gratia Dei principaliter concurrente operari posse; sicut ad vitam, & salutem oportet: idque Paulus eo loci tantum contendit, ut constet ex Augustino in enchiridio cap. 32. ibi: *restat ergo, ut propterea rectè dictum intelligitur, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuvandam, & adiuvat præparandam*. Vbi Augustinus naturam, siue voluntatem hominis aliquas in agendo partes habere fatetur: aliàs quæ ratione ad agendum à Deo præparari, & adiuvari possent: quia vero voluntas non nisi à Deo principaliter operante præparata, & adiuta agit, ideo totum Deo tribuitur: at hoc totum nostræ sententiæ non repugnat, sed potius cum ea belle colludit. Quod autem ad Semipelagianos attinet, eorum error fuit, non totum opus salutis totalitate, ut aiunt effectus Deo tribui debere, sed initium operis libero arbitrio, eius vero progressum gratiæ Dei tribuendum esse: at nos cum Augustino ubi supra de dono perseverantiæ, totum opus salutis tam quoad eius initium, quam quoad eius progressum; siue, quod perinde est, totum opus totalitate effectus Deo tribuimus: tantumque contendimus, totum opus salutis totalitate causæ Deo, eiusque gratiæ ita tribui non posse, ut voluntas nullas in eo partes habeat.

38. Obiicies tertio: ea potentia obedientialis, aut naturalis, aut supernaturalis est: medium enim inter utramque repugnare videtur: at neutrum dici potest. Minor probatur, quia in primis ea potentia naturalis non est: siquidem est potentia ad actus supernaturales, ad quos potentia naturalis repugnat. Deinde supernaturalis esse nequit, siquidem ea potentia naturæ voluntatis identificatur: ergo naturalis, & non supernaturalis est. Respondeo: ea potentia neque naturalis omnino, neque omnino supernaturalis est,

sed obedientialis, & neutra, siue ex naturali, & supernaturali mixta: siquidem ex parte fundamenti, siue entitatis, quæ potest, naturalis est: ex parte vero termini, ad quem est posse, supernaturalis est; cum terminus potentiæ huius obedientialis supernaturalis sit; aut absolute, & quoad substantiam, ut cum aqua gratiam producit; aut certe respectu, & quoad modum; ut si idem corpus semetipsum in duobus locis adæquatis circumscriptione collocaret. Obiicies quarto, non posse causam producere effectum, cum quod improporcionata est; & similiter operari non posse quidquam, quod sit extra spheram actiuitatis suæ: at voluntas cum actu supernaturali improporcionata est, & hic extra eius actiuitatis spheram; igitur voluntas nequit eleuari, ut actum supernaturalem immediate efficiat. Respondeo, voluntatem intrinsecè, & de se esse improporcionatam cum actu supernaturali; non negatiue, quasi carentiam proportionis cum eo intrinsecè, & essentialiter importet; sed tantum præcisiuè, eò quod à comprincipiis, quibus cum eo proportionetur, omnino præcindat, eaque minime postulet: ceterum extrinsecè, & in consortio principij eleuantis cum actu supernaturali proportionata est: quare principio supernaturali adiuta immediate eum efficere poterit.


Obiicies quinto contra secundam assertionem: non potest causa vlla eleuari ad producendum vllum effectum etiam supernaturalem, nisi vel effectus à causa provenire, aut causa effectum producere postulet: ergo, &c. Antecedens probatur primò: quia bellua v. g. ad discurrendum ne diuinitus eleuari potest: non alia ratione, nisi quia neque bellua denominationem discurrentis postulat: neque discursus aliquis nobis innotescit, quicam denominationem belluæ tribuere postulet: igitur similiter, quoties nec potentia physica effectum producere, nec effectus à potentia physica produci postulat; potentia ad effectum immediate producendum ne diuinitus euehi poterit: cur enim ab actione intentionali ad physicam rectè argui nequeat? Secundò, quia creatura ne diuinitus eleuari potest ad creandum aliquem effectum: non alia ratione, nisi quia nec creatura creare aliquid, nec aliquid à creatura creari postulet: ergo similiter in præsentibus, &c. Tertio, quia relationes diuinæ suapte natura non productiuæ ad extra, ut modo pro comperto supponimus, ad producendum ad extra aliquem effectum creatum supernaturaliter euehi, aut se se euehere nequeunt: non alia ratione, nisi quia nec relationes diuinæ immediate operari ad extra neutiquam postulant: nec creatura aliqua ab iis immediate, siue non media omnipotentia produci postulat: ergo similiter in præsentibus, &c.

Respondeo, negato antecedenti. Ad primam eius probationem: non ideo bellua intelligere etiam diuinitus nequit, quia nec bellua denominationem intelligentis recipere, nec intellectio eam belluæ tribuere potest: siquidem humanitas Christi per substantiam Verbi diuinitus subsistit, cum tamen nec humanitas eam denominationem recipere, nec Verbum eam humanitati tribuere postulent. Quare ideo bellua intelligere nequit, quia denominatio intelligentis intrinsecè, & essentialiter importat non solum intellectionem, verum etiam subiectum capax intelligendi;

intelligendi; id, quod omnibus denominationibus commune est: subiectum autem intelligendi capax, est solus intellectus: hæc enim duo synonyma sunt: adeoque denominatio intelligentis intrinsecè, & essentialiter intellectum includit: cum ergo bellua intellectu non polleat, sanè denominationem intelligentis suscipere ne diuinitus poterit. Ad secundam probationem probabilius est, creaturam aliquam à Deo assumi posse ad immediatè creandam aliam: quod si id impossibile malis, non ob rationem repugnantia in argumento allatam, sed ob aliquam aliam specialem ideo erit. Ad tertiam probationem: relationes diuinæ, quantumuis immediatè operatiuæ ad extra naturaliter non sint; & is operandi modus nec ab ipsis relationibus, nec à creaturis postuletur; tamen diuinitus, siue miraculose immediatè operari ad extra possunt: haud secus ac omnipotentia Dei, quantumuis naturaliter creatiua quantitatis non sit, & nec omnipotentia quantitatem creare, nec hæc ab illa creari postulet; tamen miraculose omnipotentia quantitatem creare potest, & de facto creat: ceterum hæc potentia, qua relationes diuinæ diuinitus operari immediatè ad extra possunt, obedientialis, siue eleuata dici non potest; eò quod diuinæ relationes nullam causam se nobiliorem respiciant, à qua eleuari, aut cui subiici, & obedire possint.

41.

Vltimò contra vltimam assertionem obiciet; dominium Dei in creaturas, quo iis ad supernaturales actiones uti potest, perfectissimum, & summum est: igitur etiam subiectio creaturarum, qua creatori in immediatè operando supra naturam obedire possunt, perfectissimum, & summa est: ac proinde ea qua maior esse nequit, si creatura quæuis ad certos solum, & definitos effectus supernaturaliter producidos à Deo euehi possit; sanè subiectio creaturæ respectu creatoris non esset summa, & perfectissima, eaque qua maior excogitari non posset. Respondeo, ad perfectionem diuini dominij, & obedientia creaturarum neutiquam attinet id, quod implicat: quare quod Deus eleuare nequeat intellectum ad simul assentiendum, & dissentendum eidem obiecto, nec dominio Dei intellectum, nec huius subiecti, & obedientia quidquam derogat: cum ergo virtus obedientialis immediatè actiua omnium effectuum possibilium contradictionem implicet, ut supra ostensum est: sanè ea nec ad perfectionem diuini dominij in creaturas, nec ad harum obedientiam, & subiectionem pertinere potest.



TRACTATVS VIII.

De causa efficienti increata.

CAPVT PRIMVM.

An causa prima cum secundis immediatè concurrat?

1.

DVRANDVS in 2. dist. 1. q. 5. censet, Deum cum causis secundis ad suos effectus immediatè non concurrere, nec posse; &

atenus ad eos concurrere, quatenus tribuit earum causas esse, & virtutem, per quam eos operentur. Hæc opinio sacris literis parum consona est, ut constat ex Psalm. 138. ibi: *si descendero in infernum, ades; si sumpsero penas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua: & ex illo Pauli ad Roman. 11. in ipso viuimus, mouemur, & sumus: & ex illo Isaia 26. omnia opera nostra operatus est in nobis.* Quod autem in sacra pagina testimonia de concursu immediato Dei in omnes omnium creaturarum effectus intelligenda sint, perspicuum est: quia intelligi debent de concursu vero, & proprio, & non improprio, & translatitio: at solus concursus immediatus proculdubio verus, propriusque est: quorum alterum, & alterum ostendimus supra tract. 1. cap. 2. huiusmet libri.

Quamquam autem autoritate penè certum sit, Deum immediatè cum causis secundis concurrere: si tamen rationum momenta spectentur, adeò certum non est: missis aliorum rationibus, quas in præsentia refert, & refellit Arriaga, communem sententiam hac ratione potissimum suadeo. Nulla virtus finita, qualis haud dubie est cuiuscumque creaturæ, se sola potest rem à non esse ad esse transferre: ergo nec immediatè rem ullam se sola producere: atque adeò ad immediatè operandum necessario postulat concursum virtutis simpliciter infinitæ, qualis est ea, qua Deus pollet. Antecedens probatur, quia ad transferendam rem à non esse ad esse requiritur virtus simpliciter infinita: ergo virtus finita, qualis est creaturæ, se sola rem ab esse ad non esse traducere nequit. Rursus hoc antecedens probatur quia non esse hominem v.g. & esse hominem simpliciter infinite distant: at ad hoc, ut aliqua virtus actiua actiuitate sua terminos simpliciter infinite distantes attingat, & rem per actionem ab vno ad alium transferat, simpliciter infinita esse debet. Maior probatur: quia imperfectio non hominis est summa, & simpliciter infinita cum omnis perfectionis essentialiter incapax sit: perfectio vero hominis non est simpliciter infinita, & summa, cum alicuius imperfectionis capax sit: ergo non homo, & homo simpliciter infinite distant: siquidem ad distantiam simpliciter infinitam duorum extremorum satis est, ut vnum extremum sit simpliciter infinitum: ut in Deo, & Angelo cernere est. Tum quia non esse simpliciter hominem, & esse simpliciter hominem habent infinitam simpliciter latitudinem, & extensionem, qua ambiunt, & continent omnia entia tam existentia, quam possibilis; tam creata, quam increata: quæ quidem numero, & perfectione simpliciter infinita sunt: igitur à non homine ad hominem distantia simpliciter infinita est. Minor vero superioris syllogismi perspicua est: quia ut virtus loco motiua, aut impulsiva v.g. rem ab vno spatio ad aliud infinite distans per motionem, aut impulsione transferre possit, debet esse infinita in aliquo genere. & secundum quid: haud secus ac spatia ipsa in genere loci, & secundum infinite distant: ergo ut virtus actiua aliqua, &c. Simili ratiocinationis genere in Dialectica lib. 8. tract. 2. cap. 2. ostendi repugnare trinitatem creatam: qua vna natura creata tribus realiter distinctis identificetur: quare tam repugnare arbitror concursum immediatum alicuius